

& opulentissimam Abbatiam D. Vedasti, qua non alia in universo Belgio ditior: cuius annui reditus vicena fere millia scutatorum excedunt. Habet denique Atrebatum & alia quædam spectanda templorum ædificia, & percommendas civium domos, quarum singulis sua sunt hypogæa pavimentata, & insolita quadam profunditate conspicua, quæ consilio ita facta prædicantur, ut postulante belli necessitate, se cum familia omni in ea aëtatum recipere possent, & à tormentorum hostilium iætibus immunes praestare. Natales huic debet bellicosissimus ille & fortissimus Comius, quem in commentariis suis tantopere commendat Cæsar. Item magnus ille Franciscus Balduinus Iurisconsultus excellens, & complurium in utroque jure volumen scriptor, cuius Parisiis monumentum in æde Maturini est tale: *Cuiaci, Balduinus hic jacet. Hoc tecum reputa vale. Mortuis vobis juris prudenter gravis corripiet sopor.* Franc. Bald. Iuris. ob. anno et. L I V, XI Novemb. à partu Virginis M D L X III. Papirius Massonius Balduini auditor P. In eadem civitate natus vir clarissimus Carolus Clusius eruditionis omnis atque elegantiæ decus, qui post regiones plurimas peragratas in Batavico Athenæo senex nuper obiit, manuque extremam imposuit dignis immortalitate operibus.

*Fanum D. Audomari.* Fanum D. Audomari, vulgo S. Omer, nomen habet à D. Audomaro, Constantiæ apud Germanos nato, & Episcopo Morinensi. Prius vocatum fuit Sithium, teste Mejero. Oppidum est Galliæ limitaneum, adjacetque fluminí Aginoni: firmum idem munitumque, ut nihil supra, & ædificiis publicis privatisque concinnum, inter quæ potissimum eminet insigne illud Abbatis D. Bertini palatium: civibus denique sati frequens, & Castellania ac jurisdictione in agros & pagos circumiectos conspicuum. Est & ad fanum S. Audomari per amœnus quidam & vastus memorandusque lacus è perennibus undique confluentibus aquis collectus, & in Aginonem tandem prorumpens. Huic innatant ruscula aliquot infularia, pratorum speciem obtinentia, graminosa, & arbusculis obsita. innatant autem eo modo, ut fune ex arbuscularum aliqua religato totam terræ massam quocunque visum est, pertrahas: neque ruscula illa tamen ita exigua, quin & vaccas aliquot singula, & alterius generis pecudes gramina depascentes admittant. rem profecto non veram minus, quam admirandam narro. Nam & pisces ingenti copia tam hibernis quam aestivis mensibus, frigori simul & calori cavendo sub has insulas se recipiunt. Sita est ad eundem hunc lacum inter alia ædificia, per ampla quædam & nobilis Abbatia, quam vulgo appellant Clermarts, instituti D. Bernardi, à quo & conditam tradunt.

*Belgica;*

Bethunia distat Aria quinque leucis, oppidum Bethunia. non vile, munitum, & in quo maxima copia premitur laudissimus incolis caseus, qui per totum Belgum, imo & extra illud distrahitur. Iurisdictio ejus una cum ditione Teneremundana obvenit Guidoni Dampetræ, Comiti Flandriæ, ex dote uxoris Machtildis, Daniælis, vel ut alii volunt, Roberti, Advocati (is enim tunc titulus) Atrebaten sis filiæ. Arianam Lisa fluvius interluit, oppidum validum satis, ac non veteri tantum arce, sed & aliis ædificiis satis spectabile, Teruanna duabus leucis remotum.

Bapalma distat Atrebato sex milliaribus, est que oppidum exiguum quidem, sed idem situ imprimis firmum, arcem habens munitissimum, & late satis diffusum in agros circumiectos imperium.

Rentejum castrum est, bono & ampio pago Rentejum, ad ripam ignobilis rivuli: locus fane firmissimus, quem ut expugnaret anno 1554 Galliarum Rex, nullis non viribus usus est, sed cum suppetias latus occurseret Cæsar, ad prælium illico ventum est, ut spe sua frustrati discesserint Galli.

Fuit quoque hic Hesdinum *vetus*, quod non incommode dici potest novum illud peperisse. Positum erat *vetus* Hesdinum ad flumen Gancham, quatuor à Fano S. Pauli leucis, oppidum luculentum, valida arce tutum, & insigni in agros vicinos jurisdictione spectabile: denique sedes olim & habitatio Flandriæ & Artesiae Principum. Anno 1553 à Cæsarianis ductu Ducus Sabaudiae expugnatum, destrui Cæsar una cum oppido jussit. ædificatum hinc anno proximo novum *Hesdino-Fertum*, quod oppidum oportuno prorsus & mirabili situ adjacet Ganchæ, munitum valde, ita ut inter tutissima Belgii propugnacula habeatur.

*Fanum S. Pauli.* Fanum S. Pauli, veteris & illustris Comitatus dignitate, ac luculenta admodum ditione conspicuum est. Perna prædicti Comitatus membrum, S. Paulo quinque leucarum spatio dissidet. Lillertum inter Arianam & Bethunię pariter trium leucarum intercedente ab utraque disjungitur. Bassæa Lendio abest duabus leucis. Lendum, vulgo Lens, Atrebato quatuor leucis recedit.

Tertio ab Atrebato milliari, ad flumen Lisanam, antiquissima fuit Morinorum metropolis, quam Ptolemæus & Antoninus vocant Teruanam, vulgus hodie Terouenne. Vrbs patrum memoria celebrissima, & sedes Episcopalis, quæ post arctissimam obsidionem anno 1553, ab Imperatore Carolo V, victa & solo æquata est, Episcopali territorio cum Henrico II, Galliarum Rege diviso, ut pars altera cederet Bononiensi Episcopo, pars altera Iprensi & Audomaropolitano. Haud procul inde ingens est canalis, quem fossam novam indigerant. Eum alii hu-

Cc

manæ